



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtru[m] indigeat auxilio gratiæ? 4

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

no. Differant autem secundum ea, quae difficultatem afferunt ad persistendum in bono. Nam virtus perseverantiae proprie facit firmiter persistere hominem in bono contra difficultatem, quae provenit ex ipsa diuturnitate actus. Constantia autem facit firmiter persistere in bono contra difficultatem, quae provenit ex quibuscumque alijs exterioribus impedimentis. Et ideo principalior pars fortitudinis est perseverantia, quam constantia: quia difficultas quae est ex diuturnitate actus, est essentialior actui virtutis, quam illa quae est ex exterioribus impedimentis.

Ad primum ergo dicendum, quod exteriora impedimenta persistendi in bono, praecipue sunt illa quae tristitiam inferunt. Circa tristitiam autem est patientia, ut dictum est. Et ideo constantia secundum finem convenit eum perseverantia: secundum autem ea quae difficultatem inferunt, convenit cum patientia. Finis autem potior est. Et ideo constantia magis pertinet ad perseverantiam, quam ad patientiam.

Ad secundum dicendum, quod in magnis operibus persistere difficilius est. Sed in parvis vel in mediocribus diu persistere habet difficultatem: & si non ex magnitudine actus, quam respicit magnificentia, saltem ex ipsa diuturnitate, quam respicit perseverantia. Et ideo constantia potest ad utrumque pertinere.

Ad tertium dicendum, quod constantia pertinet quidem ad perseverantiam, in quantum convenit cum ea: non tamen est idem ei, in quantum differt ab ea, ut dictum est.

ARTIC. IV.

Utrum perseverantia indigeat auxilio gratiae?

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod perseverantia non indigeat auxilio gratiae. Perseverantia enim est quaedam virtus, ut dictum est. Sed virtus, ut Tullius dicit in sua Rhetorica, agit in modum naturae. Ergo sola inclinatio virtutis sufficit ad perseverantiam. Non ergo ad hoc

q. prae. ar. 1.

676

1.2.9.109

2.9. et 10

9.9.114

ar. 2. cor.

Et 2. dis.

20. in ex.

po. lit. ad

2. Et 3.

contra co.

155. Et

veri. q.

24. a. 13.

9. q. 27.

a. 5. ad 3

Et Ps 31.

col. 6. Et

10. 7. lec.

2. co. pri.

* art. 1.

† li. 2. de

inuent. 2

f. 4. ant.

p. lib.



requiritur aliquod auxilium gratiæ.

¶ 2. Præterea, Donum gratiæ Christi est maius, quam nocumentum, quod Adam intulit: ut patet ad Rom. 5. Sed ante peccatum sic conditus fuit homo, ut posset perseverare per id quod acceperat: sicut Aug. dicit in lib. de Correct. * & gratia. Ergo multo magis homo per gratiam Christi reparatus, potest perseverare absque auxilio novæ gratiæ.

* c. 11. in
me. 10. 7.

¶ 3. Præterea, Opera peccati quandoque sunt difficiliora, quam opera virtutis. Unde ex persona impiorum dicitur Sap. 5. Ambulavimus vias difficiles. Sed aliqui perseverant in operibus peccati absque alterius auxilio. Ergo etiam in operibus virtutum potest homo perseverare absque auxilio gratiæ.

1. 2. 9. 109
ar. 10.

SED contra est, quod Aug. dicit in lib. de Perseuerantia *, Afferimus donum Dei esse perseuerantiam, qua vsque in finem perseueratur in Christo.

cap. 1. in
prin. 7.

RESPONDEO dicendum, quod sicut ex dictis patet *, perseuerantia dupliciter dicitur. Vno modo pro ipso habitu perseuerantiæ, secundum quod est virtus. Et hoc modo indiget dono habitualis gratiæ, sicut & ceteræ virtutes infusæ. Alio modo potest accipi pro actu perseuerantiæ durante vsque ad mortem.

a 1. ad 2
cap. 2.
ad 3.

Et secundum hoc indiget non solum gratia habituali, sed etiam gratuito Dei auxilio conferuantis hominem in bono vsque ad finem vitæ: sicut supra dictum est *, cum de gratia ageretur. Quia, cum liberum arbitrium de se sit vertibile, & hoc ei non tollatur per habituales gratias presentis vitæ: non subest peccati liberi arbitrij etiam per gratiam reparati, ut se immobiliter in bono statuatur, licet sit in potestate eius quod hoc eligat. Plerumque enim cadit in nostra potestate electio, sed non executio.

1. 2. 9. 109
ar. 10.

Ad primum ergo dicendum, quod virtus perseuerantiæ, quantum est de se, inclinatur ad perseuerandū: quia tamen habitus est quo quis vitatur cum voluerit, non est necessarium, quod habens habitum virtutis, immobiliter, vitatur eo vsque ad mortem.

Ad

Ad secundum dicendum, quod sicut Aug. dicit in lib. de Cor. & gratia *, Primo homini datum est, non ut perseveraret, sed ut perseverare posset per liberum arbitrium: quia nulla corruptio tunc erat in humana natura, quæ perseverandi difficultatem præberet. Sed nunc prædestinatis per gratiam Christi, non solum datur, ut perseverare possint, sed ut perseverent. Unde primus homo nullo terrente contra Dei terrentis imperium libero usus arbitrio, non stetit in tanta felicitate cum tanta non peccandi facilitate. Isti autem seculente mundo ne starent, steterunt in fide.

ca. 11. in me. 10.7.

Ad tertium dicendum, quod homo per se potest cadere in peccatum, sed non potest per se resurgere a peccato sine auxilio gratiæ. Et ideo ex hoc ipso quod homo cadit in peccatum, quantum de se est, facit se in peccato perseverantem, nisi gratia Dei liberetur. Non autem ex hoc quod facit bonum, facit se perseverantem in bono, quia de se potens est peccare: & ideo ad hoc indiget auxilio gratiæ.

QVÆSTIO CXXXVIII.

De vitijs oppositis perseverantiæ, in duos articulos divisa.

Deinde considerandum est de vitijs oppositis perseverantiæ.

¶ Et circa hoc quærentur duo.

¶ Primo, de mollicitie.

¶ Secundo, de pertinacia.

ARTIC. I.

Utrum mollicitas opponatur perseverantiæ?

677

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod mollicitas non opponatur perseverantiæ. Quia super illud 1. ad Corinth. 6. Neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores: glossa * exponit molles, id est, pathici, hoc est, muliebria patientes. Sed hoc opponitur castitati. Ergo mollicitas non est vitium oppositum perseverantiæ.

Inf. a 2. cor.

gl. interlin. ibi.

¶ 2. Præterea, Philosophus dicit in 7. Ethicor. * quod delicia mollicitas quædam est. Sed esse delicio-

ca. 7. 10. 5.

sum